

THESIS I.

- C**ausæ rerum externæ, solæ ad producendum effectum non sufficiunt.
2. Sunt enim semper extra res constituendas.
 3. Cum sit (anima mundi) efficiens generationis erit necessariò extra generata, inquit Scaliger Exerc. 6. sect. 1.
 4. Finis nihil componit, cum sit causa externa, inquit Taurellus 2. Alp. Cæsar. q. 1. n. 11. fol. 126.
 5. Et: Finis eius rei, cuius est finis, non ingreditur essentiam, inquit iterum Scalig. Exerc. 307. sect. 27.
 6. At nihil quod externum res potest constituere.
 7. E. nec per se solum easdem producere.
 8. Nos Disputatione nupera Cerevisiæ causas EXTERNAS excussimus.
 9. E. nec illæ solæ ad producendum hoc effectum suffecerint.
 10. Imò nec intellectui nostro satisfecerint.
 11. Ille enim quod in re invenit, statuit.
 12. At & præter externas causas ille in Cerevisia internas invenerit.
 13. E. & illas è re erutas statuet & constituet.
 14. Sequamur & nos ductum Naturæ.
 15. Et iam CEREVISIÆ CAUSAS INTERNAS pro nostri propositæ ratione excutiamus.
 16. ILLÆ sunt MATERIA & FORMA.
 17. Materia namq; & forma substantiæ partes sunt atq; elementa. Scalig. in 2. Arist. de Plant. fol. 87.
 18. Materia enim ex qua fit compositum.
 19. Forma per quam fit.
 20. Hinc materia est perfectibilis, forma verò perfectiva inquit Scalig. Exerc. 307. sect. 27.
 21. Ita igitur ex materia & forma unum fit. Scal. d. l.
 22. Quia sunt causæ internæ mutua coordinatione inter se ultro citroq; dantes atq; accipientes, sua utraq; modo aliquam perfectionem. Scal. d. l.
 23. Etenim forma id agit, ut materia sit hoc aliquid. Scal. d. l.
 24. Materia videtur agere, ut forma existat. Scal. d. l.
 25. Non enim esset unum ex principis, nisi aliquid faceret. Scal. d. l.
 26. Sine ea sanè forma non potest existere. Scal. d. l.
 27. Et ipsum existere, aliquid est. Scal. d. l.
 28. Id igitur ipsum, quod est existere, præstatur à materia. Scal. d. l.